

S E C T I O II.

THEORIA ARTIS LEGENDOR.
ACTOR.

§. 9. **L**ECTIO est duplex, CURSORIA alia, alia STATARIA. Eadem diuisio etiam intuitu lectionis Actor. obtinet. ILLA consistit in perlustratione Actorum superficialia, qua solummodo cognitio obiecti litis, generis processus huiusque status praesentis, ut et puncti nunc in specie controuersi et diiudicandi, quaeritur; HAEC autem consistit in sedula informatione de causae momentis, in specie de cuiusuis partis litigantis argumentis, quibus diiudicatio puncti nunc controuersi et diiudicandi superstruenda. Vtraque tam GENERALIS, quam SPECIALIS esse potest, prout aut integra Acta, aut solummodo quaedam illorum pars, vel cursorie vel statarie perlustratur. Itaque artis legendorum Actorum theoria harum lectionis specierum suppeditat regulas.

§. 10. Regula I. Ne Acta lecturus superfluum lectione se oneret, consilii est, ut lectione cursoria ante utatur, quam ad statariam accedit. Illa enim de obiecto litis, de genere processus, de praesenti causae controuersae statu, et quid imprimis in praesentiarum in lite ac diiudicandum sit, informamur, (§. 9.) ita, ut his probe cognitis le-
ctione